



The Holy See

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA **KISUMUENSIS*** IN KENIAE FINIBUS NOVA
CONSTITUITUR PROVINCIA

ECCLESIASTICA, VIDELICET KISUMUENSIS Si quidem secundum cursum tenere conspicimus in Keniae finibus catholicum nomen, idem cupimus et ubiore prosperitate ut fruatur. Quocirca ad hoc propositum optatumque, quippe qui universo fidelium coetui praesideamus, accommodare res ecclesiasticas et instituta sollerter studemus. Itaque excusso ponderatoque consilio, mente pervestigata eorum quorum interest quive sua interesse existimantur, de sententia Congregationis pro Gentium Evangelizatione, haec decernimus et iubemus. Dioecesim *Kisumuensem* attollimus ad dignitatem et statum Archidioecesis Metropolitanae, quae posthac suffraganeas complectetur dioeceses Bungomaensem, Eldoretensem, Kakamegaensem, Kisiiianam et Loduarinam, subiectas antea Metropolitanae Sedi Nairobiensi. Ut praestat, Venerabilem Fratrem Zachaeum Okoth ad gradum evehimus Archiepiscopi et Metropolitae Kisumuensis, qui fuit antehac istius dioecesis Episcopus, cunctis pariter additis iuribus et officiis congruentibus ad iuris canonici normas. Omnia haec ad exsequenda Venerabilem Fratrem Clementem Faccani deputamus, factis scilicet facultatibus opportunis etiam quemvis virum in ecclesiastica dignitate constitutum subdelegandi, Archiepiscopum titulo Serrensi in Proconsulari atque in Kenia Apostolicum Pro-Nuntium. Negotio tandem expedito, sincerum exemplar rei peractae ad Congregationem pro Gentium Evangelizatione diligenter mittatur. Contrairebus minime obstantibus. Adprecamus denum ipsum Dominum ut ager iste qui iam nunc uberem facit messem, prosperior evadat in dies ac religionis copiosiores fundat fructus humanique progressus. Datum Romae, apud S. Petrum, die vicesimo primo mensis Maii, anno Domini millesimo nonagesimo, Pontificatus Nostri duodecimo.

AUGUSTINUS card. CASAROLI
a publicis Ecclesiae negotiis

JOSEPHUS card. TOMKO
Congr. pro Gentium Evang. Praef.

Eugenius Sevi, *Protonot. Apost.*

Marcellus Rossetti, *Protonot.*

Apost.

*A.A.S., vol. LXXXII (1990), n. 10, p. 937 © Copyright 1990 - Libreria Editrice Vaticana

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana